

I.

Si nexum arctissimum perpendimus, quo apud veteres Germanos principum lateri adhaerebant *comites*, ad officia praestanda honore & stipendiis euocati, illorumque decus & praesidium in pace & bello futuri; si *deutorum solduriorumque* apud Gallos conditionem, omnibus vitae commodis & infortuniis cum his fruentium, quorum amicitiae se dediderant, si *ambactorum clientumque*, quibus circumdari principes solebant, rationem intuemur; a) mirari non subit, posteriori aetate a sua indole non alienum existimasse Germanos, aliis dignitate virtute potentiaque florentibus *se suosque omnes* ad officia pro beneficiis praestanda obnoxios efficere eorumque fieri ministeriales. Qui sic in alterius familiam transibant, libertatis quidem hanc diminutionem patiebantur, quam officiorum, ex conuentione praestandorum, huiusque obligationis ad posteritatem transiturae, ratio exigebat, ususque & obseruantia ferebat; *ingenuitatem* vero, qua intuitu status ciuilis fruebantur, saluam seruabant. In honorificorum, quae in pace & bello in aula & extra eandem subibant, officiorum functione nihil omnino continebatur, quod generis & status ingenuitati aduersaretur; quin

a) Horum omnium indolem docte & adposite explicuit vir illustris GE. CHRIST. GEBAVERVS

in progr. de Comitatu principum Germanicorum,

quin potius ipsa ministeriorum quae dignitates & officia appellantur *b)*, ratio ingenuos ministeriales desiderabat *c)*.

II.

Ex adstrictiori ministerialium nexu illud hoc loco repetere iuuabit, quod personalis illa ad ministeria obeunda obligatio ad eorum posteritatem propagata sit, libera ipsorum ut plurimum conuentione, vsuque & obseruantia Germaniae id comprobante; ut videlicet & posteris largitiones & commoda beneficiorum conciliarent, dum eisdem eos officiis obnoxios reddebant. In variis conuentionum formulis, parentes liberos suos, natos & nascituros, huic nexui subiecisse legimus. Henricus & Otto de Barmstede ministeriales ecclesiae Bremensis facti, a. 1257. fidem sanciebant, *d)* *se sicut ministeriales fideliter perpetuo seruituros; uxores nostrae, libe-*

78

b) In publico iudicio, quod Conradus II. aduersus nimiam Ministerialium Corbeiensium potentiam tulit in diplomate a. 1150. apud EDM. MARTENIVM in *Collect. monum. Ampliss. tom II. p. 687.* nominantur & describuntur ministeriales, & inter eos *dapiferi* & *pincernae* & reliqui qui ministerii locum in domo Corbeiensis Abbatibus tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant.

c) Hanc causam luculentis argumentis instruxerunt Viri illustres, DAV. GE. STRUBEN. in *obsruat. obs. II. de ministerialium dignatione p. 44.* & CHRIST. LVDOV. SCHEIDT *von Hohen und Nieder Adel in Teutschland §. 20. & sq.*

d) vid. Charta apud LVNIGIVM in *spicil. eccl. Part. I. foris. in app. tom. XVI. Arch. Imp. p. 114.*